



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

V. Proponitur secunda quæstio, Debeat ne Ecclesiasticum regimen esse  
Monarchicum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

## CAPVT V.

*Proponitur secunda questio; Debeatne Ecclesiasticum regimen esse Monarchicum?*

**V**M demonstratum sit, Monarchiam esse optimum regimen: secunda nascitur questio, An Ecclesiae Christi conueniat Monarchica gubernatio. Atq; ut certa à dubiis separemus; In tribus nobis cum aduersariis conuenit. **V**NVM est, in Ecclesia esse aliquod regimen. Nam Cant.6.dicitur: *Castrorum acies ordinata. Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Hebr. 13. Obedite prepositis vestris.*

**S**ECUNDVM est, regimen Ecclesiasticum spirituale esse & distinctum à politico. quando enim Paulus dicebat: *Qui praest in sollicitudine, Rom. 12. Et Qui benè prasunt, duplice honore digni habeantur, 1. Timoth. 5. & similia: nondum erant vlli, aut certè rarissimi in Ecclesia seculares Principes. quæ duo docet etiam Caluinus Institut. lib. 4. cap. 11. §. 1.*

**T**ERTIVM est, Regem absolutum & liberum totius Ecclesiae solum Christum esse, de quo dicitur Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion mótem sanctū eius. Et Luc. 1. Et regni eius non erit finis. Itaque non quæritur in Ecclesia, absoluta & libera Monarchia, vel Aristocracia, vel Dimocratia, sed talis, qualis esse potest ministrorum & dispensatorum, cùm dicat Paulus 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, & ministros Christi ac dispensatores mysteriorum Dei.*

Et quidem aduersarij existimant, regimen Ecclesiasticum hominibus commissum à Christo, nullo modo esse Monarchicum, sed Aristocraticum & Democraticum. quāquam nec ipsi inter se omnino conueniunt. **I**LLYRICVS enim Cent. I. lib. 2. cap. 7. docet, nullum esse in Ecclesia, qui omnibus præfit, sed totam auctoritatem Ecclesiasticam esse, tum in ministris, tum in populo. tamen in libro de Episcoporum electione, summam potestatem attribuit multitudini totius Ecclesiae, existimatq; *Dimocratiam in Ecclesia habere primas partes, secundas vero Aristocratiam, id est, seniorum congregacionem.* CALVINVS autem è contrario in Institut. lib. 4. cap. 11.

§. 6.

§. 6. summam potestatem Ecclesiasticam tribuit cœtui seniorum, quibus vult præesse Episcopum, ut Consulem senatui: & ibidem apertè docet, maiorem esse auctoritatem cœtus seniorum, quam Episcopi. Plebi autem tribuit quidem Calvinus aliquid, sed minus quam cœtui seniorum. Porrò Ioan. BRENTIUS in prolegom. contra Petrum à Soto, concedit summam potestatem optimatibus; sed eos non vult esse Episcopos, sed Principes seculares, quos nobilissima Ecclesiæ membra esse contendit.

Iam verò Doctores Catholici in eo conueniunt omnes, ut regimen Ecclesiasticum hominibus à Deo commissum, sit illud quidem Monarchicum, sed temperatum, ut suprà diximus, ex Aristocracia & Dimocratia. Id quod præcipue tractat B. THOMAS in 4. contra Gent. cap. 76. Ioannes de Turrecrematalib. 2. de Eccles. cap. 2. & Nicolaus Sanderus in libris de visibili Monarchia Ecclesiæ. Quorum vestigiis insistentes, quatuor propositiones in medium adferemus, ac pro viribus defendemus. **PRIMA** erit, Regimen Ecclesiæ non esse præcipue penes populum. **SECUNDA**, Non esse penes Principes seculares. **TERTIA**, Non esse potissimum penes Principes Ecclesiasticos. **QUARTA**, Esse præcipue penes unum summum totius Ecclesiæ Præsidem ac Sacerdotem.

## CAPVT VI.

### *Quòd Ecclesiæ gubernatio non sit Dimocratia.*

**PRIMA** igitur propositio, quæ regimen Ecclesiasticum negat esse populare, his argumentis confirmari potest. Primum ex quatuor rebus, quæ in esse debent in omni populari gubernatione.

. **PRIMO**, Vbi est populare regimen, magistratus ab ipsa plebe constituuntur, atque ab eadem auctoritatem sumunt. Cùm enim plebs per se ad ius dicendum sedere non possit, debet saltem alios constituere, qui nomine suo id faciant. Quocirca M. Tullius initio secundæ Agrariae, consulatum, qui summus erat in Repub. Rom. magistratus, populi beneficium